

qui potestati diaboli resistit, Dei ordinationi resistit. Respondetur Apostolum loqui de potestate principum cui non est resistendum quando ordinate important, et non contra Deum, diabolus autem abutitur potestate Dei sibi permissa, et contra Deum agit in nos, et ita resistendum est ei, sicut et principi quando contra Deum imperat, juxta quod dicit Augustinus: «Si aliud jubeat potestas, quod non debes facere, contemne potestatem timendo potestatem majorem.»

Circa hanc distinctionem, primo

inquit D. Thomas, utrum potentia peccandi sit a Deo, de quo in præsentia, et 1-2 quæst. LXXIX, artic. 1 ad III. Secundo, an omnis prælatio sit a Deo, et an fuerit dominium in statu innocentiae, de quo 1 part. quæst. xcix, artic. 1 et II. Tertio, inquit utrum obedientia sit virtus, de quo 2-2 quæst. civ, artic. II. Quarto, utrum christiani teneantur obedire potestatibus sæcularibus, de quo ibi art. VI. Quinto, an religiosi debeant in omnibus obedire prælato, de quo ibi art. V et G. CLXXXVI, art. II et V.

SUMMA TEXTUS

LIBRI TERTII SENTENTIARUM.

In hoc tertio libro agit Magister de Deo Salvatore reducente nos ad Deum, et redimente a peccatis. Dividitur autem in duas partes principales. In prima agit de Christo, et mysterio incarnationis, ejusque redemptione usque ad distinctionem XXIII. In secunda de virtutibus quibus redemptionis fructum in nobis habemus, et sic agit in prima parte de principio reducente nos ad Deum effective, in secunda parte de reducente nos formaliter, virtutes enim forma sunt quibus in nobis reformamur. Circa ipsum mysterium incarnationis tali ordine procedit, quod usque ad distinctionem VI agit de ipso mysterio quantum ad suam quidditatem, et principia. Deinde vero a distinctione VI agit de conditionibus, seu consequentibus ad ipsum mysterium. Primo quidem de consequentibus ex parte ipsius Dei incarnati usque ad distinctionem XIII. Deinde de consequentibus, seu convenientibus ex parte naturæ assumptæ a distinctione XIII, usque ad XXIII.

Igitur in hac prima distinctione incipit agere de hoc mysterio ex parte extremi assumpti, qui est Filius Dei. In secunda vera tertia et quarta de extremo assumpto ejusque qualitate, et origine. In quinta vero de utriusque unione.

DISTINCTIO PRIMA.

Hæc distinctio dividitur in tres partes. In prima ostendit per auctoritatem, quæ sit Persona assumens. In secunda inquit rationem quare Filius, et non alia Persona assumpsit carnem. In tertia objectionem quamdam dissolvit.

Circa primum, docet ex Scriptura Filium Dei esse incarnatum: *Verbum enim caro factum est.* Et iterum: *Cum venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere,* ipsa enim Filii missio, incarnatio fuit.

Circa secundum, tres affert rationes, cur potius Filius Dei incarnatus sit quam Pater, vel Spiritus Sanctus. Primo, quia Filius est Verbum cui attribuitur sapientia, sicut ergo dicitur omnia in sapientia fecisse, ita conveniens fuit ut omnia

in sapientia reficeret. Secundo, quia incarnatio fuit quædam Personæ divinæ missio ad nos, Pater autem non potest mitti, quia non est ab alio a quo mittatur, sed Filius missus est a Patre, deinde Spiritus Sanctus ab utroque missus est, sed solus Filius in carne, non vero Spiritus Sanctus. Tertia ratio est, ut idem diceretur Filius Dei, et Filius hominis. Si autem Spiritus Sanctus, aut Pater incarnaretur, diceretur quidem hominis filius, sed non Dei, ideoque alius esset Filius Dei. Poterat tamen Pater, et Spiritus Sanctus carnem assumere, non minus quam Filius, et modo potest.

Circa tertium, proponit hanc objectionem. Si solus Filius carnem assumpsit, ergo non omne quod fecit Filius, fecit et Pater, consequenter opera Trinitatis non sunt indivisa ad extra si aliquid facit Filius, quod non Pater. Respondetur opus

incarnationis a tota Trinitate esse factum, sed carnem soli Verbo unitam ut personæ subsistenti in natura humana. Itaque effective ab omnibus Personis incarnatio est facta, terminative a solo Verbo est assumpta.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an incarnatio fuerit possibilis, et conveniens, de quo III part. quæst. I, art. I. Secundo, utrum si homo non peccasset Deus fieret homo, de quo ibi artic. III. Tertio, inquit utrum una Persona sine alia possit naturam assumere, et cur magis Filius, quam Pater, de quo IV par. quæst. III, artic. IV et VIII. Quarto, inquit utrum tres Personæ possint eandem naturam assumere, vel una Persona plures naturas, de quo III p. q. III, art. VI et VII.

DISTINCTIO II.

Incipit in hac distinctione agere de altero extremo incarnationis, scilicet de natura assumpta hoc ordine, quod in hac distinctione inquit quid sit illud assumptum, in tertia quale sit quantum ad puritatem, in quarta de principio quo procreata sit.

Igitur in præsentī distinctione II, tria facit. Primo, ostendit humanitatem assumptam, et quid nomine humanitatis intelligatur. Secundo, explicat quo ordine partes sint assumptæ. Tertio, qua prioritatem.

Circa primum, docet secundum fidem assumpsisse Verbum veram humanitatem, seu naturam humanam intelligendo nomine humanitatis substantiam naturam ex anima, et corpore constantem, non proprietatem aliquam, ut aliqui dixerunt, a qua denominatur homo, nec tamen ut Damascenus docet assumpsit naturam humanam in

communi, eo modo quo dicitur esse unam naturam omnium hominum, sed humanam naturam subsistentem in eadem persona Dei, et hominis. Et in hac natura assumpsit carnem, et animam, et accidentia, seu proprietates ad eam spectantes, et denique omnia, quæ in natura plantavit, Verbum Dei assumpsit, ut Damascenus dicit.

Circa secundum, docet assumpsisse carnem mediante anima, quia secundum Damascenum summa essentia, corporeæ naturæ non nisi mediante anima rationali congruenter uniretur. Spiritus enim superior majori similitudine, ideo appropinquat, quam pari inferior, et sic mediante ratione spiritus, quæ est superior assumpsit rationem animæ, quæ est inferior, et mediante anima carnem assumpsit.

Circa tertium, docet indubitate tenendum esse, quod Verbum simul assumpsit animam, et carnem, nec caro fuit prius concepta, et postea assumpta, sed in ipsa conceptione assumpta fuit. Unde dicit Augustinus ipsum Verbum suæ carnis acceptione conceptum, et ipsam carnem Verbi incarnatione conceptam.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an fuerit natura humana magis assumptibilis quam aliæ naturæ, et utrum debuit eam Filius Dei assumere, de quo agit III p. q. IV, art. I. Secundo, quærit an assumpserit unam partem mediante alia, ut corpus mediante anima, et an simul omnes partes assumpserit, seu quo ordine facta fuerit assumptio, de quo III p. q. VI.

DISTINCTIO III.

Explicato extremo assumpto, scilicet humanitate quantum ad quid-

ditatem, explicat hac distinctione qualitatem ipsius quantum ad munditiam, et sanctitatem ex parte ipsius carnis prout derivata est a matre, et a patribus. Et ita in hac distinctione facit tria. Primo, explicat puritatem carnis Christi prout fuit in matre. Secundo, explicat ejus dignitatem quatenus in antiquis patribus, quomodo scilicet non fuerit decimatus in lumbis Abrahamæ. Tertio, solvit objectionem quamdam contra id quod præcedenti distinctione dictum est carnem Christi non fuisse prius conceptam, quam assumptam.

Circa primum, docet tum ipsam carnem Christi in Virgine, tum Virginem ipsam fuisse mundatam, et ab omni labe peccati sanctificatam fomitemque in ea, vel extinctum, vel debilitatum ne peccaret. Ipsa quidem caro Christi mundata fuit, quia Spiritu sancto præveniente, et obumbrante Virginem sine ullo vitio fuit concepta. Ipsa autem Virgo Spiritu Sancto præveniente fuit a peccato prorsus purgata, et fomes extinctus, vel debilitatus, ut non esset ei peccandi occasio, et potentia generativa præparata, ut de Spiritu Sancto sine virili semine conciperet Deum, et sine ulla libidine, quod ex verbis evangelii Luc. I et expositione Joannis Damasceni ostendit. Quod vero B. Virgo ex tunc ab omni peccato immunis extiterit ex verbis Augustini probat dicentis, quod cum de peccatis agitur nullam de sancta Virgine vult habere quæstionem, cui plus gratiæ collatum est ad vincendum ex omni parte peccatum, et quæ singulari præventa est gratia atque repleta ut cum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habet universalitas Dominum.

Circa secundum, inquit utrum caro Christi secundum materiam qua fuit in Abraham, et aliis patri-

bus fuit obnoxia peccato, et consequenter cum dicat Apostolus Abraham dedisse decimas Melchisedech, et quia in lumbis ejus, seu semine illius virtualiter continebatur Levi in cujus tribu fuit sacerdotium, etiam ipsum Levi virtualiter decimas dedisse in suo parente Abraham, cui similiter Christus, qui etiam ex Abraham descendit non dicatur decimas dedisse per Abraham. Respondetur utrumque quidem fuisse in Abraham, sed non eodem modo, quia Levi in virtute seminis, quia modo communi nasciturus erat, Christus autem solum quantum ad corpulentam substantiam non quoad virtutem seminis ibi fuit, et ideo non est decimatus sicut Levi, et sacerdotium ejus. Sic ergo assumpsit Christus non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati, quia caro illa similis fuit nostræ in pœna seu passibilitate, non in culpa, nec obligata peccato ex vi suæ conceptionis.

Circa tertium, objicit ex Augustino super Joannem ubi dicitur: *Quadragesima et sex annis ædificatum est templum hoc*, sic Augustinus inquit: « Hic numerus perfectioni Dominici corporis convenit, quia ut dicunt physici tot diebus humani corporis forma perficitur; » unde aliqui occasionem sumpserunt dicendi corpus Dominicum tot diebus fuisse formatum, quot aliorum hominum. » Sed respondetur sensum Augustini esse, quod licet in primo instanti corpus Domini animatum fuit, ut tot illis diebus indiguerit ad hoc, ut notabilis quantitatis fuerit sicut aliorum hominum corpora.

Circa hanc distinctionem, primo inquit Div. Thomas de sanctitate Virginis, an fuerit prius sanctificata, quam concepta vel prius, quam infusa anima corpori, de quo III p. quæst. XXVII, art. II. Secundo, an sit operata aliquid ad generationem

Christi ita, quod ejus generatio fuerit miraculosa, de quo III part. quæst. XXXII, artic. IV, et quæst. XXXIII, articulo IV. Tertio, inquit de ipsa annuntiatione Virginis, an convenienter fuerit facta, de quo III part. quæst. XXX. Quarto, an fuerit caro Christi obnoxia peccato in patribus, et quomodo in illis fuerit, et cur ibi non decimatus, de quo III p. quæst. XXXI. Quinto, quærit de modo conceptionis Christi, an fuerit ex purissimo sanguine Virginis, de quo tertia parte, quæstione XXXI, articulo V; an subito, vel successive fuerit conceptus, de quo q. XXXIII, art. I; an indiguerit sanctificatione, de quo q. XXXIV, art. I.

DISTINCTIO IV.

Agit in hac distinctione Magister, de qualitate carnis assumptæ ex parte principii activi, quo genita est, scilicet quomodo sit de Spiritu Sancto. Et dividitur in tres partes. In prima, movet dubitationem, quare Christus dicatur conceptus de Spiritu Sancto. In secunda, duas reddit nationes quare de Spiritu Sancto natus sit. In tertia, solvit quamdam difficultatem ex Apostolo.

Circa primum, dubium proponit quare Christus dicitur conceptus de Spiritu Sancto, siquidem opera Trinitatis sunt indivisa. Unde non potest ita Spiritui Sancto attribui, quod secludatur Pater, aut Filius, potius enim una Persona nominata in efficacia rerum aliæ inclusæ censentur, ut probat ex Augustino.

Circa secundum, prima ratio ostendit, Christum ita esse de Spiritu Sancto, quod non est ejus Filius, licet Virginis Filius sit, non enim Spiritus Sanctus Pater est Christi etiam ut homo est. Quia non omne, quod est de aliquo filius est illius, sicut

multa oriuntur ex homine, nec tamen dicuntur filii, quia non ejusdem naturæ, et sic Christus in quantum homo non procedit, ut ejusdem naturæ cum Spiritu Sancto sed cum Matre. Et tamen de Spiritu Sancto dicitur natus, ut gratia ipsa demonstretur, quia nullis meritis ille homo Dei Filius est. Secunda ratio est, quia dicitur de Spiritu conceptus, quia Christus, ut homo factus est a Spiritu Sancto, non quia loco seminis Spiritus Sanctus fuerit, sed quia per gratiam, et operationem ejus factum est Verbum caro, non quia ex substantia Spiritus Sancti, sed quia ex potestate ejus hoc opus processit, ut dicit Ambrosius.

Circa tertium, inquit cur dicat Apostolus Christum factum ex muliere, et factum ex semine David, cum nos eum natum de Virgine profiteamur. Respondetur dici factum ut intelligeretur non seminis commixtione quæ ad generationem spectat, sed virtute Spiritus Sancti conceptum, facere enim, et factum magis potestatem significat, et virtutem. Sed dicitur ex semine David, quia formatus est ex carne Virginis, quæ erat ex semine David.

Circa hanc distinctionem, primo inquit Div. Thomas an efficientia corporis Christi tribuatur Spiritui Sancto et quare non dicatur ejus pater, de quo agit III p. qu. XXXII, art. III. Secundo, utrum B. Virgo proprie sit Mater illius hominis, et Dei, de quo III p. q. XV, art. IV. Tertio, utrum illam conceptionem aliqua merita præcesserint, de quo III p. q. II, art. XI. Quarto, an gratia sit illi homini naturalis, de quo q. II, art. XII.

DISTINCTIO V.

Explicavit hucusque Magister ipsum incarnationis mysterium, tam

ex parte Personæ assumentis, quam ex parte naturæ assumptæ, ejusque qualitatem et principium generationis. Nunc explicat in hac distinctione ipsum mysterium ex parte unionis, et comparisonis extremorum, et facit tria. Primo, proponit quæstionem in præsentia agitandam. Secundo, determinat ipsam. Tertio, dubitationes quasdam resolvit, et objectiones.

Circa primum, quæstio quam proponit talis est, an sit concedendum quod Persona assumpserit personam vel quod natura assumpserit naturam, vel quod Persona naturam, vel tandem quod natura assumpserit Personam. Et similiter utrum ita conveniat dici naturam divinam incarnatam, sicut Deus vel Verbum dicitur incarnatum.

Circa secundum, incipit resolve hanc quæstionem a certioribus, deinde determinat difficiliora. Certum est, quod nec natura divina assumpsit personam humanam, nec Persona divina personam humanam sed vere Persona divina naturam humanam, ut ex auctoritate quadam Augustinus lib. de fide ad Petrum ostendit. Difficultas vero, inquit, inter doctos est an possit dici, quod natura divina assumpserit naturam humanam. Nam in hoc difficultatem faciunt quædam auctoritates sanctorum: in quibusdam enim ut in Conciliis Toletanis VIII et XI, insinuat, quod sola Persona Filii assumpsit naturam nostram, non vero quod natura divina, quæ est communis toti Trinitati. Ex alia parte, quædam auctoritates Augustini et Hieronymi significant formam Dei assumpsisse servi, et naturam divinam naturam humanam, et divinitatem humanitati unitam. Magister autem determinat quod juxta sanctos patres sola Persona Filii Dei assumpsit humanam naturam, in ea tamen Persona, divina natura

unita est humanæ, nec etiam a Persona assumente divina natura excluditur, sed aliæ Personæ, quæ assumentes non sunt, quod ex Damasceno probat.

Circa tertium, proponit Magister duas dubitationes. Prima, utrum divina natura debeat dici caro facta, sicut Verbum dicitur caro facta. Respondetur negative, quia Persona assumpsit humanam naturam in singularitatem suæ Personæ, natura autem divina non assumpsit in unitatem naturæ humanam naturam, sed utraque mansit indivisa. Secunda dubitatio, si Verbum assumpsit corpus, et animam unitam, cur non assumpsit personam hominis, siquidem hæc ex unione animæ, et corporis resultat. Respondetur, quod illa unio animæ et corporis non fuit ad faciendam personam, sed solum naturam hominis, resultantia autem personæ fuit impedita per unionem Verbi. Quod si objiciatur, quia anima est quædam individua substantia rationalis naturæ; ergo persona, ergo Verbum assumendo animam, assumpsit personam. Respondetur animam non esse personam, quia est unita alteri, scilicet corpori, non in se terminata, et incommutabilis. Denique objicit, quia Filius Dei assumpsit hominem, ergo aliquem hominem, ergo personam. Sed respondetur quod nefas est dicere, vel sentire, scilicet quod assumpsit hominem, sumendo hominem pro persona, sed exponendum esse quod assumpsit naturam humanam, si quando dicitur, quod assumpsit hominem.

Circa hanc distinctionem, primo inquit Div. Thomas, an sit aliqua unio, et quid illa sit inter personam, et naturam humanam, de quo etiam agit III p. q. II, art. VII. Secundo, inquit an unio sit facta in natura vel in persona, de quo ibi art. I et II. Tertio, utrum assumere conveniat

naturæ divinæ, an personæ, et utrum naturæ remota persona, de quo ibidem q. iii, art. ii et iii. Quarto, inquit an natura humana sit assumpta, et utrum persona possit esse assumpta, de quo ibi quæst. iv, art. i et ii, et utrum assumpsit hominem ibidem.

DISTINCTIO VI.

Ad hac distinctione incipit agere Magister de conditionibus, seu consequentibus hoc mysterium incarnationis. Et primo explicat ea quæ conveniunt Deo incarnato ratione unionis usque ad distinctionem xiii, deinde ea quæ conveniunt naturæ assumptæ usque ad distinctionem xxii. Et quæ conveniunt Deo incarnato sunt in duplici differentia, quædam pertinent ad locutiones exprimentes ipsam unionem, ut quod dicitur Deus factus homo, vel Deum esse hominem, aut hominem esse Deum, et de his agit in hac, et sequenti distinctione. Quædam vero pertinent ad ea, quæ consequenter se habent ad ipsam unionem, ut quod Deus, vel divina natura dicatur nata de Virgine, an sit Christus creatura, quomodo sit adorandus, etc. Igitur in hac distinctione vi, Magister, refert tres sententias circa ea quæ pertinent ad hujus mysterii unionem, ex quibus maxime pendet intelligentia earum locutionum quæ hanc unionem expriment. Et ita in hac distinctione, solum opiniones ipsas proponit, earumque fundamenta, in sequenti vero distinctione quomodo juxta quamlibet earum loquendum sit declarat. Et sic præsens distinctio dividitur in tres partes juxta tres opiniones, quas refert.

Circa primum, proponit primam opinionem, quæ dicit in Christo dari unam Personam divinam, sed esse duo supposita, quia affirmat Ver-

bum divinum assumpsisse hominem prout ly homo dicit subsistens, seu suppositum ex anima, et corpore resultans, et ita affirmat uniri animam, et carnem non solum ad constituendam naturam, sed etiam ad constituendum suppositum scilicet hominem, et hoc suppositum esse unitum Personæ divinæ.

Circa secundum, secunda opinio dicit in Christo non esse nisi unam Personam divinam et unum suppositum divinum, carnem autem, et animam solum uniri inter se ad constituendam naturam, seu humanitatem, non ad constituendum suppositum seu hominem, et ita solam naturam esse unitam Verbo, non hominem, et ex tali unionem naturæ in Verbo resultasse, quod sit idem suppositum hominis et Dei, nec esse ubi suppositum creatum, sed personam illam esse compositam subsistendo in duplici natura.

Circa tertium, ponit tertiam opinionem, quæ affirmat animam, et corpus unita esse Personæ Verbi, sed non esse unita inter se, non enim poterant concipere unionem animæ, et corporis solum ad constituendum naturam, et non suppositum, humanitatem, et non hominem. Omnes istæ sententiæ fundamentum habent in quibusdam auctoritatibus sanctorum. Prima in eo quod sæpe dicunt patres Verbum assumpsisse hominem, et ad hoc affert Magister quædam verba Augustini, homo autem non dicit solam humanam naturam, sed etiam suppositum hominis. Secunda vero sententia fundatur in aliis auctoritatibus, quæ dicunt in Christo duas esse naturas, et unam hypostasim, ut ex Damasceno et Augustino affert. Tertia fundatur in quibusdam auctoritatibus, quæ dicunt Verbum divinum induisse naturam humanam, ut vestem juxta illud Apostoli: *Habitu inventus ut homo*; unde carnem

et animam, ut indumenta assumpsit, non inter se copulavit. Similiter dicit Augustinus et alii sancti Verbum carnem assumpsisse, et animam, atque adeo videntur ista duo esse assumpta, non inter se unum facta.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an in Christo sint duo supposita, seu hypostases, et utrum assumpsit hominem, de quo agit iii par. quæstio. iv, artic. ii. Secundo, inquit utrum in Christo sit tantum unum esse, et Christus sit duo neutraliter, vel unum, de quo iii par. quæstio. xvii, artic. i. Tertio, inquit an persona Christi sit composita, de quo iii par. quæstio. ii, artic. iv. Quarto, inquit an caro, et anima sint inter se unita in Christo, et utrum accidentaliter ei adveniat natura humana, de quo iii p. qu. ii, art. vi.

DISTINCTIO VII.

Positis tribus opinionibus in præcedenti distinctione relatis, determinat in præsentem, quo modo locutiones exprimentes hanc unionem accipiendæ sint, quas in præcedenti distinctione proposuit. Sunt autem duæ locutiones, quas principaliter explicat. Prima quomodo dicatur Deus factus homo, vel homo factus Deus. Secundo, quomodo dicatur ille homo prædestinatus Filius Dei. Et facit tria. Primo, exponit has locutiones secundum primam opinionem. Secundo, exponit eas secundum opinionem secundam, eamque confirmat. Tertio, secundum tertiam sententiam, et deinde reliquit lectori, harum opinionum arbitrium.

Circa primum, dixit juxta illam primam sententiam verificari, quod Deus cœpit esse substantia quædam rationalis, quæ ante non erat, et illa

substantia cœpit esset Deus, gratia tamen non meritis, vel natura, et ideo ille homo prædestinatus dicitur, ut Filius Dei esset. Quod si objiciatur, quia ex hoc sequitur, quod Deus cœpit esse quædam substantia, quæ non est Deus, concedunt sequelam, sicut concedit Origenes, quia factus est Deus id quod non erat secundum carnem.

Circa secundum, docet in secunda sententia supra posita verificari, quod Deus factus est homo, et homo Deus, quia id quod erat subsistens in divina natura factus est subsistens etiam in humana, et sic ut dicit Augustinus illa susceptio Deum fecit hominem, et hominem Deum; Deus enim dicitur persona subsistens in duabus naturis, et subsistens in duabus naturis dicitur Deus. Verificatur autem, quod sit prædestinatus Christus, ut sit Filius Dei, non quidem ut subsistens in divina natura, sic enim non ex prædestinatione, et gratia est Deus, sed natura, sed in quantum subsistit in humana natura, ille homo ex gratia unionis est Filius Dei. Et in hac sententia solvitur fundamentum primæ, quia cum dicitur homo assumptus a Verbo, nomine hominis intelligitur humana natura, quæ non est persona, seu suppositum, sed in Filio Dei est unum, et idem, Deus et homo, non aliud et aliud, vel alius et alius. Cum autem aliquando dicit Augustinus aliud esse Verbum, aliud hominem, aliud Filius Dei, aliud Filius hominis, sed non alius, respondet solum significari esse aliud, et aliud quoad naturam, non quoad suppositum, seu hypostasim, quod ex Damasceno et Hilario confirmant, qui dicunt eundem esse Deum, et hominem, nec esse aliud Filium Dei, et Filium hominis. Et ex eodem principio explicant alias auctoritates, ut cum dicitur ab Augustino quod utrumque est Christus, et una

persona, seu utrumque esse Deum, et utrumque esse hominem. Item cum dicit, quod Deus, vel homo non potest dici pars hujus personæ, et sic non videtur illa persona constare Deo, et homine, respondetur enim primum verificari per hoc quod utrumque, scilicet Deus, et homo in una persona sociatum est, et subsistit. Secundum vero optime dici, quia illa persona non constat Deo, et homine sicut totum ex partibus, quia non resultat tertium constitutum ex illis, sed ineffabiliter unum assumitur ad unitatem personalem alterius.

Circa tertium, docet quod secundum tertiam opinionem Deus homo quasi Deus humanatus, seu incarnatus, seu habens humanitatem, et dicitur Deus factus homo quasi dicitur factus est incarnatus, nec tamen inde sequitur quod Deus factus sit Verbum, sicut dicitur homo factus bonus, nec tamen tunc est factus homo. Dicitur etiam prædestinatus ut sit Filius Dei, quia prædestinatum est a Deo, et per gratiam collatum ut ille homo sit Filius Dei, hoc enim, non ex meritis habet. Et sic etiam dicitur minor Patre, scilicet in habitu, et forma servi suscepta, ut Augustinus inquit. Non tamen debet dici homo Dominicus, sed homo Deus, ut inquit Augustinus lib. I retract. si enim est Dominus absolute, non Dominicus. Denique Magister positus his opinionibus relinquit arbitrio lectoris cujuscumque resolutionem, aut ad melius considerata, et tractata remittit.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an ista sit vera Deus est homo, et an sit in materia naturali. Item, an sit vera ista Deus factus est homo, homo factus est Deus, de quibus in III p. q. XVI tractat. Secundo, inquit circa prædestinationem Christi, an hæc sit vera: Hic homo prædestinatus est Filius

Dei ubi de subjecto prædestinato, et de termino ad quem prædestinationis, et quomodo distinguatur de quibus III p. q. XXIV, art. I.

DISTINCTIO VIII.

Incipit ab hac distinctione inquirere Magister de his quæ consequuntur unionem incarnationis. Et primo, de his quæ consequuntur in natura divina ex unione ad humanam in hac distinctione. Deinde, quid conveniat humanæ ex conjunctione ad divinam distinctione sequenti. Et tertio, quid conveniat Personæ divinæ ex eo, quod habet naturam humanam, sive pertineat ad dignitatem, sive ad defectum, distinctione X et sequentibus.

Igitur in præsentī distinctione duo facit. Primo, proponit hanc quæstionem utrum debeat concedi, quod natura divina est nata de Virgine sicut conceditur, quod est incarnata. Secundo, proponit aliam quæstionem utrum Christus possit dici bis genitus.

Circa primum, utraque parte affert rationem. Pro prima, quia natura divina etiam intra Deum non potest dici nata, aut genita de Patre, ergo neque temporaliter de Matre. Primo, ex alia parte objicit, quia natura divina dicitur incarnata in utero Virginis, ergo et nata. Et hoc videtur dicere Augustinus dum dicit, quod divinitas temporaliter conceptionem, et nativitatem suscepit. Sed ad hoc respondet Magister quod Augustinus loquitur in præfatis verbis de Persona, quæ sine dubio nata est de matre in tempore.

Circa secundum, respondetur duas nativitates debere attribui Christo secundum duplicem naturam, alteram æternam, alteram temporalem, quod manifeste dici ab Augustino et Damasceno ostendit,

et sic in Christo datur gemina nativitas et bis natus est.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an nasci conveniat supposito; an naturæ; an solum viventibus conveniat nasci; an divina natura possit dici nata de virgine, de quo videri potest III p. q. XXXV, art. I. Secundo, inquit an sit in Christo duplex nativitas, et an sit duplex filiatio, de quo III p. qu. XXXV, art. II et V.

DISTINCTIO IX.

Ostenso quid ex ista unione consequatur, et conveniat divinæ naturæ, ostendit in hac distinctione quid naturæ humanæ conveniat ex unione ad divinam. Et docet convenire illi adorationem divinam, quia scilicet adoratur eadem adoratione qua Verbum. Et ad hoc facit duo. Primo, proponit quorundam sententiam, quod humanitas Christi non sit adoranda adoratione latriæ. Secundo, oppositam sententiam docet, et confirmat.

Circa primum, aliqui dixerunt humanitatem Christi non esse adorandam adoratione latriæ, quia latria est cultus soli Deo debitus, humanitas vero Christi in se creatura est, non ergo latriæ cultu adoranda est sed cultu dulciæ cujus dicunt esse duas species, alteram qua colimus quoslibet sanctos, aliam soli humanitati Christi debitam, quia super omnem creaturam dignificata est, non tamen eo cultu veneranda est, quo Deus colitur, scilicet exhibitione sacrificii, et aliis similibus.

Circa secundum, opposita sententia Christi unica, et eadem adoratione cum Verbo esse adorandam non propter se, sed propter Verbum cui unita est, nec propter hoc idololatria incurritur, quia nec soli creaturæ, neque propter ipsam, sed

propter Deum cui unita est, latria tribuitur. Unde Damascenus dicit, quod una adoratione adoramus Christum cum incontaminata ejus carne, non inadorabilem carnem dicentes, nec ut nudam carnem adoramus, sed ut unitam adoramus, sed ut unitam deitati in unam hypostasim Dei Verbi duabus reductis naturis. Et Augustinus dicit: « Ergo Dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatem, ideo adoro quod a divinitate suscepta est, et deitati unita, non ut alium, et alium; sed unum, eundemque Deum, et hominem Filium Dei esse confiteor. » Et idem docet super Psal. xcvi ad illa verba: *Adorate scabellum pedum ejus*, id est, Christi carnem.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, quid sit latria, seu religio, de quo plura 2-2 q. LXXXI. Secundo, inquit an Christi humanitati sit exhibenda, de quo III p. q. XXV, art. II. Tertio, inquit quid sit dulcia, quas species habeat, quibus sit exhibenda, de quibus 2-2 quæst. CIII, art. III et IV et III part. quæst. XXV, art. II.

DISTINCTIO

Explicatis his quæ consequuntur, et conveniunt naturæ divinæ, et humanæ ex ipsa unione, inquit in præsentī quid conveniat personæ ex tali unione. Et primo agit de his, quæ illi conveniunt quantum ad dignitatem. In distinctione autem XI et XII, de his quæ pertinent ad defectum.

Igitur in præsentī distinctione facit tria. Primo, inquit an Christus secundum quod homo sit persona. Secundo, an sit Filius naturalis, vel adoptivus. Tertio, an sit prædestinata natura, vel persona.

Circa primum, proponit dubium ex utraque parte. Nam in primis